

ALBERTUS FRIES CSSR, *De Commentario Guerrici de S. Quintino in libros Sententiarum*, in «Archivum Fratrum Praedicatorum» (ISSN 0391-7320), 5, (1935), pp. 326-340.

Url: <https://heyjoe.fbk.eu/index.php/afp>

Questo articolo è stato digitalizzato della Biblioteca Fondazione Bruno Kessler, in collaborazione con l'Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum all'interno del portale [HeyJoe](https://heyjoe.fbk.eu) - *History, Religion and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe è un progetto di digitalizzazione di riviste storiche, delle discipline filosofico-religiose e affini per le quali non esiste una versione elettronica.

Il materiale sul sito [HeyJoe](https://heyjoe.fbk.eu) è disponibile sotto licenza CC BY-NC-ND 4.0: può essere scaricato, stampato e condiviso per uso non commerciale, con attribuzione e senza modifiche.

This article was digitized by the Bruno Kessler Foundation Library in collaboration with the Institutum Historicum Ordinis Praedicatorum as part of the [HeyJoe](https://heyjoe.fbk.eu) portal - *History, Religion, and Philosophy Journals Online Access*. HeyJoe is a project dedicated to digitizing historical journals in the fields of philosophy, religion, and related disciplines for which no electronic version exists.

The material on the [HeyJoe](https://heyjoe.fbk.eu) site is available under the CC BY-NC-ND 4.0 license: it can be downloaded, printed, and shared for non-commercial use, with attribution and without modifications.



être conduites jusqu'au bout à cause du manque de ressources, mais les travaux d'Uggla nous donnent tout de même une représentation très claire du plan des constructions. Ici aussi elles ont été assez modestes ; nos couvents du Nord, pauvres et dispersés, n'atteignent jamais l'étendue des couvents du Sud de l'Europe. Aux recherches proprement archéologiques Uggla ajoute aussi une compilation de maigres notices historiques qui jettent une certaine lumière sur l'histoire du couvent de Lödöse.

L'héritage liturgique de l'ordre des Frères-Prêcheurs a été traité surtout par les savants finlandais Jalmari Jaakkola et Aarno Maliniemi. Dans la monographie du premier sur la naissance du culte de saint Eric l'auteur porte une attention spéciale au rôle que jouèrent les Dominicains dans la formation de ce culte ¹. Il est clair, que celui-ci a été très grand. D'abord, l'office de saint Eric a été composé à Sigtuna sous la direction du prieur Israel Erlandi (prieur de 1298 à 1309, puis évêque de Västerås, mort en 1332) à la fin du XIII^{ème} siècle.

La thèse de M. Aarno Maliniemi sur le propre des saints finlandais du moyen-âge touche sur plusieurs points à l'histoire de l'Ordre ². On sait que le rit dominicain était au moyen-âge le rit du diocèse finlandais. M. Maliniemi a pu, en plusieurs endroits, compléter ce que nous savons sur ce fait curieux. Evidemment, l'*Ordinarium praedicatorum* a été imposé par l'évêque Benoît (1321-1338). L'évêque Magnus Olavi en obtint la confirmation par le Pape en 1445. Les Dominicains ont donc, naturellement, à certains égards laissé la trace de leur influence dans la composition du calendrier du diocèse d'Abo.

DE COMMENTARIO GUERRICI DE S. QUINTINO IN LIBROS SENTENTIARUM

scripsit Albertus Fries CSSR.

Recentior ³ plures historiae periodi scholasticae periti attentius indagaverunt de scriptis Fratris Guerrici de S. Quintino, cognomine Flandren-

¹ Jalmari Jaakkola, Pyhän Eerikin pyhimystraditionin, kultin ja legendan synty (La naissance de la tradition, du culte et de la légende de s. Eric). Helsinki 1921.

² Aarno Malin (Maliniemi), Der Heiligenkalender Finnlands. Helsingfors 1925.

³ Cfr. F. M. Henquinet OFM., Les écrits du Frère Guéric de Saint-Quentin, in: Rech. Théol. anc. méd. 6 (1934) 184-214; 284-312; 394-410. Ibi passim alii laudantur auctores,

sis, qui fuit quartus ex Ordine Fratrum Praedicatorum magister facultatis theologiae Parisiensis ¹. Unde evenit ut sat multae partes operis eius litterarii, non sine magno labore, recognosci possent. Dolendum sane erat eius super Sententias Petri Lombardi scripta, etsi vestigia eorum nequaquam deessent, nondum fuisse inventa. Tamen etiam ipsa nunc ab iniuria oblivionis asserta esse videntur. Liceat paucis describere codicem quo continentur, determinare aliquomodo tempus compositionis, exhibere nonnullas rationes authenticitatem suadentes.

1. Agitur de codice Vat. lat. 691, membranaceo, mm. 289 x 190, ff. 178 (+ 70a-79a), 2 col., saec. XIII exarato ². Continet hic codex ³ Petri Lombardi quattuor libros Sententiarum cum prologis et capitulis praemissis; capitula suo quodque loco in textu interposita sunt. Praeter divisiones textus, expositiones litterae, accedunt in marginibus lateralibus glossae, schemata, versus memoriales, in margine superiore et inferiore quaestiones et dubia in libros Sententiarum. Omnia fere ab una eademque manu conscripta sunt. Praeunt index quaestionum et complures introitus primi libri; quorum unus incipit: *Cantic. III en lectulum Salomonis LX fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios et ad bella doctissimi. Salomo qui dicitur pacificus, ipse est rex noster Christus, lectulus etus est militans ecclesia* (f. 1ra). — Alius exorditur: *Materia huius libri potest sumi ab eo quod dicit dominus moysi exod. III: Ego sum qui sum, ego sum deus abraham etc. Cum enim dicitur: ego sum qui sum, per hoc pronomen « ego », quod est prime persone, potest notari in trinitate persona patris. Sequitur distinctio aliorum librorum per posteriorem partem auctoritatis, ubi dicitur: vidi afflictionem populi mei qui est in egypto...* (f. lrb). — Tertius habetur introitus: *Altissimus de terra creavit medicinam et vir prudens non abhorrebit eam, eccli. XXXVIII. In hac auctoritate duo possunt notari, scilicet dei elemencia et excellencia...*

¹ J. Quéfif - J. Echard, *Scriptores ordinis Praedicatorum, 1719-1721*, I, pp. 113-115. — P. Glorieux, *Répertoire des Maîtres en Théologie de Paris au XIII^e siècle*, Paris, 1933, I, pp. 54-58. — Testante P. Mandonnet O. P., Thomas d'Aquin, novice Prêcher, in *Rev. Thom.* 1925, pp. 507-510, Guerricus erat docens in s. theologia ab anno 1233 usque ad annum fere 1240.

² Cf. A. Pelzer, *Codices Vaticani latini*, II, pars prior, 1931, p. 11s.

³ M. Grabmann, *Geschichte der scholastischen Methode*, II, 1911, p. 394 huius codicis fecit mentionem, quo attentio mea excitabatur; recenter Henquinet suspicionem protulit eo ms, forsitan Commentarium Guerrici contineri, cfr. *Les écrits*, p. 284.

Materia etiam omnium librorum qui sunt in hoc volumine per dictam auctoritatem potest accipi: per hoc quod dicit « Altissimus » notatur materia primi libri; per hoc « creavit » materia secundi; per illud « de terra » materia tercii; per illud « medicinam » materia quarti (f. 1va) ¹.

I liber explicit: *quia nullus debet velle simpliciter separacionem sui per culpam; sed per penam aliam potest optare separacionem* (f. 53vb).

II liber incipit: *Postquam egit magister de creatore, agit de creaturis; vel sic: supra egit magister de potencia, sciencia, voluntate dei* (f. 55ra).

— Explicit: *alia etiam ratio est quia species boni debet plus movere quam cognicio veri* (f. 88rb).

III liber incipit: *Si vero queritur: dubitatur utrum pater potuit incarnari. et videtur, quia hoc dicit magister* (f. 89ra). — Explicit: *item auget peccatum et addit prevaricationem* (f. 120vb).

IV liber incipit: *Iste quartus liber dividitur primo in duas partes. in prima agitur de sacramentis, in secunda de effectu sacramentorum, scilicet de resurrectione, dotibus et beatitudine* (f. 121va). — Explicit: *usque ad diem iudicii, usque ad gloriam beatorum et penam malorum (glossa)* (f. 177ra).

Praetera habetur: *Questio fratris Guerrici de ordine predicatorum: quesitum est de illo verbo domini: universe vie domini misericordie et veritas* (f. 177r). — *Opiniones magistri Sententiarum que hodie non tenentur* (f. 177v). — (Saec. XV:) *Annales ab anno 1200 ad annum 1444* (f. 177v). — *Quaestiones nonnullae de dotibus corporum gloriosorum* (f. 178r-v); incipit: *Dictum est supra XLIX d. quid est dos*; explicit: *Christus non intravit clausis ianuis ad discipulos*. — Superior pars codicis maxime in duobus posterioribus libris humore pessumdata est.

Uti iam elucet ex intentione auctoris in introitu expressa quaestiones et dubia eorumque solutiones constituunt unum aliquod opus, quod etiam constat ex eo quod auctor in una parte ad aliam remittit:

In II Sent., f. 57rb: « et hoc est quod dicunt aliqui quod dicitur angelus mortalis sive corruptibilis, non quia tendat in corruptionem, sed quia est ex nihilo, et per hanc divisionem patet solutio ad quesita; de hoc queré in primo libro ».

In II Sent. d. 43, f. 87ra: « nota quidam dicunt opinantes quod aliquis existens in mortali et cum eo descendens non valere ei orationes;

¹ Hoc ultimo introitu incipit in bibliotheca Trecensi (Troyes) cod. ms. 1229 anonymus: *Altissimus creavit de terra medicinam... In verbis istis materia quattuor librorum sententiarum exprimitur. Haberet igitur forsitan alterum exemplar commentarii illius.*

alii distinguunt, quia si habuit propositum numquam penitendi, sic ei non valent orationes, quia sic habet peccatum in spiritum sanctum. Si vero non penitet aliquo casu contingente vel quia subito mortuus vel aliqua alia causa, cum non habebat in proposito non penitere, sic dicitur ei valere orationes; de hoc quere in III d. 45.» — In IV Sent. d. 45, f. 170v-171r agitur de quaestione: Utrum suffragia prosint dampnatis.

In IV Sent. d. 49, f. 175va: « Questio est utrum divina essentia ut essentia videatur in patria. de hoc quere I libro I. d. et in secundo VII et in questione de hoc ». — In I Sent. d. 1, f. 3r habetur: queritur utrum fruamur divina essentia. — In II Sent. d. 7, f. 61r obiectum breviter tangitur et additur nota redux ad I lib. — Allegata « questio de hoc » invenitur forsitan in quadam quaestione de quolibet eiusdem auctoris.

2. Quoad tempus compositionis praesentis commentarii quaedam possunt notari certa vel probabilia. Ac primum ex operibus quorundam auctorum citatis satis pertingimus ad terminum « a quo ». Laudantur Simon Tornacensis (f. 14v), Innocentius III (f. 129rb), Praepositinus Cremonensis (ff. 14v, 146ra), Guillelmus Altissiodorensis (ff. 146ra, 140va, 142rb). Admisso pro compositione Summae aureae Guillelmi tempore inter annos 1215 et 1220¹, pervenimus pro commentario, de quo agitur, ad tertium decennium saeculi XIII.

Deinde hic commentarius concordat interdum intime cum commentario in Sententias Hugonis a S. Charo, et quidem ita ut opus Hugonis sit prius, alterumque ab eo dependere censeatur. Quod probatur per partes:

Hugo, In Sent., cod. Vat. lat. 1098,
f. 71ra

cod. Vat. lat. 641, f. 73^arb

« Solucio. hec est impropria: omnes peccavimus in Adam et est sic exponenda: scilicet omnes contraximus causam sive originem peccati ex Adam, scilicet fomitem sive carnis corruptionem que erat in carne eius, ex qua est omnis caro hominum. satisfactio vero non fuit ab Adam sed a deo... »

« Solucio. hec est impropria: omnes peccavimus in Adam et sic exponi debet: id est omnes contraximus causam sive originem peccati ex Adam scilicet fomitem sive carnis corruptionem que fuit in carne Adam, ex qua est omnis caro hominum; sed animam non ab Adam contrahimus. Propter hoc cum satisfactio respiciat personam non naturam... »

¹ Cfr. Glorieux, Répertoire I, n. 129. — Cfr. etiam pro quaestione originis operum huius temporis expositionem paululum differentem cl. D. O. Lottin, L'identité de l'âme et de ses facultés, in Rev. Néoscolast. 36 (1934) Hommage à M. De Wulf, pp. 191-210.

Hugo, In Sent., cod. Vat. lat. 1098,
f. 62va

« Solucio. Plus peccare dicitur quis multis modis, scilicet *peiori finis intentione*, sic mulier plus, *quia intendebat per hoc fieri sicut deus, sed vir intendebat per hoc non contristari delicias suas*; item plus, scilicet in plus, i. e. *in plures*, sic etiam mulier, quia in *deum, in se et in proximum*; item plus, scilicet *dampnosius*, sic etiam mulier, quia etiam plus nocuit sibi quam Adam sibi, et pluribus nocuit, quia sibi et viro; item plus, scilicet pluribus peccavit, sic etiam mulier, ut dictum est; item plus, scilicet *liberiori voluntate*, sic mulier; item plus, scilicet *graviori origine*, sic vir, *quia ex certa scientia, illa quodammodo ex ignorantia* ».

cod. Vat. lat. 691, f. 74vb

« Solucio. multis modis dicitur maius peccatum, scilicet quia *peiori fine sive peior intentione*, sic mulier plus, *quia intendebat esse sicut deus, Adam non, sed ne contristaret suas delicias*; item plus, id est tumori maiori, sic mulier; item plus, id est *in plures*, sic mulier, *quia in deum, in proximum et in se*, Adam non in proximum; item plus, id est *dampnosius*, sic mulier, quia plus punita fuit; item plus, id est *voluntate liberiori*, sic mulier, quia non coacta, vir vero quasi coactus; item plus, per comparacionem ad disposicionem in subiecto, sic Adam plus, *quia ex certa scientia, illa quodammodo ex ignorantia* ».

Notandum ulterius quoad hunc textum quod dispositio illa comparationis inter peccata Evae et Adae prima vice, ut videtur, occurrit nobis in commentario Hugonis. Ibi etiam in margine habetur: « nota bene responsionem circa gravitatem peccati ». (f. 62va)

Praeterea auctor ille anonymus profitetur sententiam Augustinianam identitatis essentialis inter animam eiusque potentias¹, quam etiam circa annos 1230-1235 contra Guillelmum Altissiodorensem tenebant Hugo a

¹ F. 6vb: *Ad aliud quod obicitur de anima et suis potentiis, potest dici quod potentie anime non sunt diverse substantie ab anima sed substantia una. Tamen differunt penes habilitates ad actus, et licet ita sit simplex, tamen habet « quod est » et « quo est », quia post maximam simplicitatem hec est prima differentia.* — Haec opinio non probatur scriptori, qui propterea suam ipsius sententiam ponit in ipso initio primi libri, f. 1vb: *Dicit magister in tercia dist. huius primi libri quod memoria, intelligencia, voluntas sunt una mens, una essencia, et ibi questum est utrum potencie sint idem in essencia cum anima et solutionem ibi quere secundo capitulo tercie distinctionis 'Nunc vero etc'.* Tamen hic adducuntur quedam ut aliter solvamus. Obicitur ergo sic: *potentie anime aut sunt idem quod anima aut non.... Ad hoc ponitur duplex solucio: prima est que dicit quod anima et sue potencie sunt idem in essencia, et hec solucio posita est ibi in tercia dist. Alii dicunt quod non sunt idem in essencia, quod magis nobis placet, tamen idem sunt in esse substantiali sive*

S. Charo, Philippus Cancellarius et alii ¹. Insuper idem auctor admittit compositionem substantiae spiritualis ex « quo est » et « quod est », quam sententiam a Boethio et Gilberto derivatam secundum D. O. Lottin introduxit Hugo a S. Charo ². Confirmatur prioritas Hugonis ex eo quod auctor ille ei contemporaneus affert conceptum Anselmianum peccati originalis, quem ipse Hugo in commentario nondum enumerat ³. Anonymus igitur, cum certo non longe distet ab Hugone Cardinali, qui super sententias Lombardi scripsit circa annos 1229-1230 ⁴, immo probabiliter ab eo dependeat, opus suum non composuisse videtur nisi tercio decennio saeculi XIII completo.

Innuitur deinde auctorem nostri commentarii non longe abesse a Philippo Cancellario, quocum quasdam communes habet opiniones quae antea

substantie... Cum ergo queritur, aut sunt idem quod anima, solutio: non idem in essentia, sed idem in subiecto vel substantia... Ad auctoritates Augustini sic respondendum: dici potest de plano quod liber ille de spiritu et anima non est Augustini, immo cuiusdam alterius ex pluribus sententiis compilatus. — Attentionem meretur illa distinctio facta in anima inter essentiam, substantiam et subiectum, quam secundum O. Lottin Odo Rigaldus primus profert. Cfr. L'identité... Rev. Néoscol. 36 (1934) p. 202, 206. Praeter hanc differentiam doctrinalem utriusque loci notandum est quod in quaestione praemissa authenticitas Augustiniana libri De spiritu et anima negatur, dum in ipso opere, f. 6rb, in eadem scilicet quaestione, idem liber Augustino attribuitur.

¹ Secundum O. Lottin, l. c., p. 198 et 209.

² La composition hylémorphique des substances spirituelles, in Rev. Néoscol. 33 (1932) 26.

³ F. 73a vb: *Item alia ratio ponitur, scilicet quia ut dicit Anselmus in libro de conceptu originali in Adam ante peccatum erat iustitia naturalis, qua omnes ab eo procedentes essent naturaliter iusti, sive originaliter, si Adam stetit. Anima ergo Ade erat [f. 74a] ratio servandi originalem iustitiam, sed per peccatum recessit ab hac naturali iustitia et ideo iustum est, ut per recessum a iustitia naturali fiat in nobis recessus ab eadem iustitia et ita in anima cutuslibet. Unde sicut potuit transmittere originalem iustitiam, sic et privationem originalis iustitiae. Item ut dicit idem Anselmus, Adam non peccavit ut erat singularis quedam persona, sed ut erat principium omnium et natura universalis omnium. Unde preceptum datum fuit ei, non inquantum erat una singularis persona, sed universalis natura. Quare similiter corruptio quae est secuta ex contemptu precepti debet esse universalis, et sic propter rationes dictas potest dici quod ex peccato et corruptione anime Ade secuta est corruptio et peccatum in anima cutuslibet descendantium ab Adam. — In schemate quodam nomina peccati originalis complectens conspicitur etiam haec explicatio: originale, inquantum est carentia debite iustitiae contracta ex origine. (f. 74a ra)*

⁴ Cfr. Glorieux, Répertoire, I, n. 2.

non inveniuntur. Uterque v. g. docet, licet diversa claritate, sedem gratiae esse substantiam animae.

Philippus, S. de bono (post 1228) ¹
cod. Vat. lat. 7669, f. 76ra

« Gratia enim non distinguit voluntatem, cum sit perfectio anime secundum seipsam ».

f. 42rb

« Patet ergo quod simpliciter immortalitas est a gratia, secundum quid autem, sicut diximus, ex natura ».

f. 43rb

« Corpus vero resurgens per gloriosam immutationem, scilicet incineracionem et immortalitatem retorquendum est ad arietatem status, temporis et principiorum, quia prima a gratia gratum non faciente, secunda a gratia gratum faciente ».

f. 42rb

« sed potentia activa fuit in fructu ligni vite ».

Cod. Vat. lat. 691, f. 78va

« dicendum quod gratia dicitur habitus universalis et respicit proprie substantiam anime tamquam proprium subiectum quod perficit et informat ».

f. 71va

«... unde quoad quid est a natura, sed simpliciter est a gratia ».

f. 71vb

« Solucio. potest dici: corpus Ade secundum quod dicitur immortale non potens mori est ex gratia faciente gratum; sed prout dicitur potens nunquam mori est a gratia gratis data ».

f. 71va

«... quia immortalitas potest dicere potenciam passivam, et sic potest dici principium immortalitatis natura, vel potest dicere potenciam activam ».

Porro ab utroque auctore compositio substantiarum spiritualium ex « quo est » et « quod est » vocatur metaphysica ².

Hisce dictis quoad terminum « a quo », terminus « ad quem » aliquomodo determinari potest, et quidem per hoc quod liber Algeri De spiritu et anima pluries tamquam opus Augustini citatur ³. Notum est illum li-

¹ Ibid. n. 119, p. 282.

² Pro Philippo cfr. O. Lottin, La composition... Rev. Néoscol. 33 (1932) p. 30, lin. 152-155. — Cod. Vat. lat. 691, f. 57va.

³ F. 6va; f. 6vb; f. 56ra; f. 89rb;

brum generatim S. Augustino attributum esse usque ad annum fere 1240¹.

Constare proinde videtur commentarium cod. Vat. lat. 691 compositum esse decennio 1230-1240, excluso uno alterove ex prioribus annis.

3. Quaerenti quis sit auctor huius commentarii obvenit primo indicium sane non negligendum in hoc quod eadem formula quaerendi de Dei misericordia et iustitia bis in commentario recurrit sicut in duabus quaestionibus certo Guerrico de S. Quintino attribuendis.

a. Absoluto commentario in cod. Vat. lat. 691, f. 177r legitur: « Quaestio fratris Guerrici de ordine predicatorum. Quesitum est de illo verbo domini: *universe vie domini misericordia et veritas*. Primo quid dicatur misericordia et veritas secundum glossam que dicit quod hec duo sunt in omni opere domini ».

b. Codex Vat. lat. 4245, f. 63vb continet quaestionem Guerrici.²: « Sexto queritur quomodo *in omni opere dei sit misericordia et veritas*. Videtur enim quod si unum est ibi, altera non potest esse, quia nichil in eo incompletum. Unde si est in eo iustitia, oportet quod sit summa... »

c. In commentario cod. Vat. lat. 691 applicatur hoc principium eadem forma ad casus quosdam speciales: In II Sent. d. 32, f. 74^ar: « Adhuc queritur, *cum in omni opere dei sit misericordia et veritas*, queritur que misericordia est quod infundatur anima corpori corrupto... »

In IV Sent., f. 145rb: « Contra: *in omni opere dei est misericordia et veritas sive iustitia*, ergo in iustificatione impii est iustitia... »

Ex duabus illis quaestionibus authenticis patet quod conciliatio misericordiae cum iustitia divina multum premebat Guerricum, quod quidem problema proferebat sub illo textu biblico. Ex altera parte est modus ante et post Guerricum insolitus quaerendi illo verbo de misericordia vel iustitia in transfusione peccati originalis vel in iustificatione impii.

Iam A. Landgraf paucis abhinc annis retulit quoad necessitatem auxilii supernaturalis ad eliciendos actus « de genere bonorum » eandem positionem indecisam Guerrici in commentario in ep. Pauli et in Cod. Vat. lat. 691³.

¹ Cfr. G. Théry, L'authenticité du « De spiritu et anima » dans saint Thomas et Albert le Grand, in Rev. Sciences Phil. et Théol. 10 (1921) 373-377. - O. Lottin, L'identité... Rev. Néoscol. 36 (1934) 192.

² Authenticitatem pro certa habet Henquinet, Les écrits... Rech. Théol. anc. méd. 6 (1934) 403 sq.

³ Die Erkenntnis der helfenden Gnade in der Frühscholastik. Zeitschr. kath. Theol. 55 (1931) 206, nota. — Cfr. Henquinet, Les écrits... p. 199.

Idem cl. auctor l. c. scripsit gratiam respectu iustificationis praecedentem a Guerrico in eodem commentario in ep. Pauli vocari *praeparantem* in oppositione ad cooperantem ¹. Hoc etiam videtur verificari in commentario cod. Vat. lat. 691. Legitur enim f. 87v: « Nota non est simile de angelis malis et de hominibus, quia in angelis est voluntas in durata et firmata in malo, unde non possunt se *preparare*; in homine non sic est, quia bona voluntas potest esse a libero arbitrio per modum *preparationis*, sed est a deo tamquam sanante et infundente ». — F. 46rb: « similiter in Iacob prima causa dilectionis et remota fuit gratuitum, misericordia domini; proxima ratio dilectionis fuit liberum arbitrium *preparans* se ad recipiendum gratiam vincendo concupiscentiam per fidem Christi ».

Aliae opiniones Guerrici sat originales et significativae referuntur a cl. Henquinet, quarum nonnullae etiam in commentario nostro enuntiantur.

a. Cod. 131 Bibl. com. Assis., f. 60r, continet notam hanc ²: « Videtur quod *superior pars rationis non possit peccare venialiter*. Quod verum est secundum fratrem Guerricum ». — Revera haec est opinio cod. Vat. lat. 691; f. 77va dicitur: « dubitatur hic utrum consensus in delectationem sit peccatum mortale... Solucio: *pars superior ut dicitur non potest peccare venialiter* nec sensualitas mortaliter, inferior potest et venialiter et mortaliter; venialiter cum delectatur, mortaliter cum consentit ».

b. Clm 22233, f. 42v: « Ut dicit frater Gerwicus, doctor theologus, usque ad defunctos extenduntur indulgentie, quia quoad hoc *sunt de foro ecclesie*; inquantum enim purgantur, ad terminum est illa pena, nec adhuc sunt in termino et ita quantum ad hoc sunt viatores et de foro ecclesie. Et forte sicut favorabile est dicere quod beata virgo in anima et corpore glorificata est, quamvis protestari non possit, ita pie potest credi quod ille cui data est indulgentia aliqua potest eam concedere parentibus vel amicis defunctis *per modum suffragii* sicut et peregrinationes et oblationes in missis, maxime si ille qui dat indulgentiam, hoc concedit » ³.

Eadem elementa doctrinae habentur in cod. Vat. lat. 691, f. 142vb: « Ad aliud dicendum quod in pena purgatoria intelliguntur duo: unum est quod non est ibi meritum vel demeritum, aliud quod illa pena est satisfactoria; quantum ergo ad primum non est de foro ecclesie militantis, sed *quantum ad secundum et quoad hoc habet potestatem sacerdos super illam* ». — f. 146rab: « Consequenter queritur, utrum illis qui sunt in purgatorio

¹ L. c., p. 181: « Eine vor der Rechtfertigung liegende Gnade dagegen wird im beginnenden 13. Jahrhundert von Guerricus de S. Quintino als *gratia praeparans* im Gegensatz zur *cooperans* bezeichnet ». (Paulinenkommentar [cod. Paris, Nat. lat. 15603, f. 5])

² Cfr. Les écrits, p. 208.

³ Henquinet, l. c., p. 203, 311.

prosit relaxatio vel indulgentia. Videtur quod sic... Solucio. caritas ecclesie bene se extendit ad eos qui sunt in purgatorio, sed non iurisdictio[ne] sive clavi ratione cuius fit indulgentia. Sed hoc potest dici quod ille accipiendo crucem meretur patri et matri imminutionem pene, et hoc merito devotionis eius et orationis, elemosynarum. Unde non valet eis indulgentia per modum indulgentie *sed merito eius cui fit indulgentia* ».

c. Cod. 131 Bibl. com. Assis., f. 198r : « Frater Guericus potest opinari quod *ille ignis non sit elementalis* et sunt rationes eius ad hoc, quia nichil seipsum purgat vel innovat, ille ignis IIIor elementa et totum mundum innovabit et ita seipsum innovaret... et sicut ignis gehenne statim factus est cum fuit tempus punitionis, ita et ille ignis quando erit tempus purgationis, tunc auctoritate dei creabitur et cessante quod purgandum erit, cessabit et ille ignis, et dicitur ille ignis *maximus diffusionem et virtute et IIIor elementa consumet, non secundum substantiam sed secundum figuram elementalem* quam nunc habent, sicut dicitur I. Cor. VII.... »¹.

Eadem doctrina ac in his postillis Guerrici super I. ad Cor. habetur simili modo expressa in quaestione quadam *secundum* Guericum, quæ continetur cod. Lisboa, Alcobaça 147, ff. 266v-268r².

F. 267r : « Hoc supposito queritur, quid sit ex toto absumi et quare magis illa duo, ignis et aqua sicut per aliam glossam super II. Petri 3. que dicit quod mutabuntur. ... Solucio. Sicut probatum est per auctoritates et per glossam concedimus quod omnia *elementa manebunt secundum substantiam, transibunt autem secundum quod elementa*, scilicet prout sunt *principium agendi vel paciendi*. Ex toto autem consumi est secundum quod activa sunt et passiva; sic enim *totalitatem habent ad invicem* vel commixtionem; sed ex toto consumi attribuitur magis activis quibus minus videtur convenire, unde per hoc ostenditur etiam aliis convenire et multo fortius. Item melius dicendum quod illa [quæ] dicimus activa pro tanto debent ex toto absumi, quia activa debent habere totalitatem ad alia quia habent in se vim convertendi quævis; (consumere) aliis vero i. e. passivis, quia sunt in via deficiendi, attribuitur resumptio melioris faciei ». — F. 267v-268r : « Postea queritur de illo igne immutante quid sit... Concedimus ergo quod non est ignis infernalis solum nec purgatorius solum nec elementalis solum nec quinte essentie solum, *sed ex omnium ignium mundanorum confragatione*... Ad illud quod queritur, cum ille ignis quantum ad essentiam est ignobilior et impotencior tamquam pars universi; est econtra *potencior virtute et nobilior* ».

¹ Henquinet, l. c., p. 212-13.

² Prof. B. Geyer, quæ est benignitate, concessit mihi usum reproductionum luce impressarum huius ms.

Eadem iterum doctrina ac in duobus textibus, quos modo extenso citari oportebat, detegitur in quaestione quadam de quolibet Guerrici de S. Quintino.

Legitur cod. Vat. lat. 4245, f. 68vb : « Tercio queritur de innovatione mundi. *II Petri 3. super illud : elementa vero calore solventur, glossa: elementa quibus mundus consistit maximus ille ignis absumet, neque ista intantum consumet ut non sint, sed duo ex toto consumet, alia in meliorem faciem restituet; ex hoc videtur quod duo ex toto desinunt. quaeritur que, et videtur quod ignis et aqua, quia ibidem dicit glossa: mare iam non est. Iterum Is. XXX glossa, scriptum est, lux lucerne amplius non lucebit eis... Item: ignis non ascendit plus quam aqua in diluvio. Solucio. omnia elementa manebunt secundum substantiam, sed preteribunt secundum formam, quam nunc habent, et omnia in meliorem formam restituentur, cum ergo quedam elementa sint magis activa scilicet ignis et aqua, et quedam magis passiva, scilicet terra et aer, specialiter attribuitur activis ex toto consumi, scilicet quantum ad formam... item specialiter attribuitur passivis in meliorem formam restitui... alie rationes solent poni quas habes in sent. XLVIII d. »*

Attendendum est hic ad opus ultimis verbis citatis laudatum. Certum est agi de quarto libro Sententiarum; certum quoque est in ipso libro Sententiarum d. 48, neque antea neque postea, esse sermonem de istis « aliis rationibus » ¹. Videtur ergo auctor illius quaestionis de quolibet, Guerricus nempe, ad commentarium quendam in Sententias alludere et quidem, cum in se sit probabile et alius non nominetur, in suum ipsius in Sententias commentarium. De facto in commentario, de quo loquimur, illae « aliae rationes » loco indicato exhibentur et insuper commentarius ille cod. Vat. lat. 691 se ostendit, ut videtur, in quaestione corrispondenti tamquam fontem quaestionis cod. Vat. lat. 4245 contentae. Quod ut perspiciatur iterum necesse est fuse afferatur textus.

Vat. lat. 691, f. 173va : « Quaeritur de illo igne qui precedet faciem iudicis. Sed primo queritur utrum omnia elementa corrumpentur vel quedam. Item que reparabuntur. Secundo quis est ille ignis, quo fiet confratio; III^o si est idem cum purgatorio; IIII^o si est idem cum igne infernali. Ad primum sic proceditur *II Petri 3. elementa ignis calore solventur. glossa: duo ex toto consumentur, et videtur quod illa duo sunt ignis et aqua, quia ibidem dicit glossa: mare iam non est, ut habetur in Apo.*

¹ Capitula distinctionis 48 quarti Sent. sunt: ¹ de forma iudicis; ² qualis apparebit forma servi; ³ quare secundum formam servi dicitur Christus suscitaturus corpora; ⁴ de loco iudicii, ⁵ de qualitate luminarium et temporis post iudicium. — Cfr. Petr. Lombardus IV Sent. ed. Quaracchi 1916, II, 1022-26.

Item dicit glossa : in propheta scriptum est : lux lucerne non lucebit eis amplius. Js. XXX. ex quo videtur quod hec duo ex toto consumuntur, scilicet aqua et ignis... In contrarium : I cor. VII. preterit figura huius mundi. glossa : figura, non substantia... Math. V. donec transeat celum etc. glossa : donec elementa mutantur a mutabili forma in immutabilem... Math. XXIII. celum et terra transibunt... ergo manebunt et non consumuntur, quod concedendum est. Ad illud ergo quod obicitur : duo ex toto consumuntur, diversimode solvitur. Quidam enim dicunt ex toto consumi ignem et aquam quia usum illarum qualitatatum in quibus maxime consistit vita humana, amittent, scilicet caliditatem et humiditatem, quia ignis non habebit usum calefaciendi nec aqua usum quem modo habet humorem parandi ; sed similiter videtur quod deberent dicere hoc idem de aere, cuius est humiditas qualitas predominans. Alii quod duo ex toto consumuntur quia secundum quamlibet partem sui purgabuntur, v. g. aqua que tota est in nostros usus, ideo tota corrupta est et ideo secundum quamlibet sui partem purgabitur. Similiter aer spiratur et respiratur a nobis et totus corruptus est et ideo totus purgabitur ; terra autem non est corrupta tota sed tantummodo quantum labor humanus occupatur de ea ; similiter non totus ignis, scilicet quoad partem superiorem non est in usum nostrum, ideo non totus corrumpitur nec totus purgabitur. Et de hiis dicitur quod mutabuntur in facie. Alii dicunt quod ignis et aqua ex toto consumuntur, sed hoc intelligitur quoad totalitatem agendi vel paciendi : sunt enim due qualitates active, scilicet calidum et frigidum, ratione quarum ignis et aqua dicuntur habere dominium respectu aliorum et quandam totalitatem ; alia vero sunt quasi passiva et habent defectum quandam et propter hoc totalitas in hiis destruetur, sed defectus in illis reparabitur, et ideo verum est quod ignis et aqua ex toto corrumpentur quoad actionem dominantem, sed terra et aer mutabuntur in faciem meliorem quoad defectum quem modo habent ».

f. 174ra-b : « Postea queritur quis est ille ignis quo facies mundi exuretur, utrum ignis elementum vel elementatum. Quod non sit elementatum videtur ; quod est elementatum est grossius elemento, ergo cum grossius non agat in simplicius sed potius econtra videtur quod non sit elementatum. Item non videtur elementum ; quia nichil destruit seipsum, sed tendit in sui conservationem. Item videtur quod sit elementum, non elementatum, quia dicit Augustinus XX. de civitate XVI. ca. figura huius mundi mundanorum ignium confragratione peribit, sicut factum est mundanarum aquarum inundatione diluvium. Ex hoc videtur quod sit elementum. Item super 2. Petri III. in glossa dicitur quod ille ignis consumet IIIIor elementa, ergo non est de illis. Item dicitur in glossa quod ille ignis ascendet quantum aque, quare non est elementum, quia ignis elementum est supra spheram aeris. Unde potius esset descensus quam ascensus. Item prima purgatio fuit per aquam elementatam, ergo similiter hec erit per ignem elementatum. Item queritur quare primum iudicium fuit per aquam, se-

cundum per ignem potius quam econverso. Solucio ; de hoc sunt diverse opiniones ; *quidam* enim dicunt, quod ille ignis dicitur quinta essentia que est lux in sua propria natura. Unde in natura sua non habet comburere sed illuminare. Tamen quando deus voluerit dabit ei potenciam purgativam. *Alii* dicunt quod ille ignis est elementum, qui descendet non natura sui sed iussu dei et purgabit hec inferiora que pro peccatis nostris sunt infecta. Unde purgabit istum ignem grossum et similiter hanc aquam etc. et dicitur ascendere respectu purgacionis, descendere vero respectu proprii loci. *Alii* dicunt quod *ille ignis dicitur coadunacio ignium mundanorum omnium sicut vult Augustinus*. Ad quod obicitur : nichil agit in nobilius se. dicendum quod verum est, sed notandum quod multiplicatio radiorum solis in summo et tunc rarefiet materia ignis quantum potest, et sic ignis cum virtute solis purgabit ignem elementum et alia similiter ».

Tandem suadetur Guericum esse auctorem illius commentarii per ipsius consonantiam cum quaestione quadam in cod. Bibl. Nat. Florent. G. 5. 347 contenta.

F. 41vb : « nota / Jo. ult. (in margine : secundum guaricum) est peccatum ad mortem, non pro eo dico ut quis roget. *Tripliciter potest dici peccatum ad mortem* : primo *ducens* ad mortem per se : sic communiter se habet ad omne mortale et hoc privat gratiam et secundum hoc potest exponi : non pro eo dico ut quis roget i. e. *qualiscumque* sed iustus tantum, nec *qualitercumque* sed speciali oratione. Item peccatum ad mortem, scilicet *durans* usque ad mortem sive finalis impenitentia secundum quod privat terminum vite et *secundum hoc privat possibilitatem ad vitam*, unde secundum hoc sic potest exponi : non pro eo dico ut quis roget, i. e. dico ut non roget *secundum illos qui dicunt quod suffragia non prosunt dampnatis* ; *secundum illos qui dicunt quod suffragia prosunt sic* : non pro eo dico etc. i. e. *non precipio nec prohibebo*, quia nescio in quo statu talis decesserit. Tertio modo peccatum ad mortem, i. e. *impellens* ad mortem, et secundum hoc privat *dispositionem ad vitam*, quia hoc peccatum scilicet in spiritum sanctum directe opponitur dispositioni que est ad bonum. unde sic exponitur : non pro eo dico ut quis roget, verum est quantum *ad impetrationem venie*, quia per se opponitur venie, *sed rogandum ut mutetur voluntas vel ut minus puniatur*, quia hoc peccatum irremissibile est de natura sua ; unde etsi remitteretur de misericordia salvatoris, non tamen sequeretur : ergo remisibile, quia remisibile peccatum ponit aliquid ex parte peccati, habilitatem scilicet ad remittendum quod non remittitur. Et nota quod potest ecclesia orare pro tali ut dimittatur aliquid de pena, quamvis sciat quod nichil dimittatur de culpa, et secundum mensuram culpe erit etc. quia illa auctoritas intelligenda est quantum ad diuturnitatem, non quantum ad qualitatem pene vel acerbitem, quam (?) quia nulla nec sufficeret ad illud quod deberet uni peccato mortali tantum ».

Haec eadem doctrina invenitur, non multum differens, in commentario cod. Vat. lat. 691.

F. 86va : « Solucio. *peccatum ad mortem dicitur tripliciter* : primo modo large, scilicet omne peccatum quod actu a deo separat et sic privatur gratia qua uniebatur deo et sic omne peccatum mortale dicitur ad mortem quia *ducit* ad mortem eternam quantum est de se, et hoc ad differentiam venialis peccati. Secundo modo dicitur stricte peccatum ad mortem quia *impellit* ad mortem, quia non tantum privat gratiam ab anima sed *dispositionem remittendi* privat ut dicatur non habere colorem excusationis, et sic ducit ad mortem et sic dicitur ad mortem ad differentiam peccati ex ignorancia vel ex infirmitate in quibus etsi privetur gratia non tamen dispositio qua sit peccatum irremisibile... Tertio modo dicitur ad mortem peccatum quod *durat* usque ad finem vite et dicitur ad mortem quia ponit hominem in mortem eternam, quia illud privat possibilitatem gratie, secundum vero privat dispositionem gratie in subiecto, sed primum gratiam a subiecto, sed non dispositionem remittendi; secundum privat utrumque sed non possibilitatem, tertium vero privat *possibilitatem recuperandi*, non habendi gratiam. Per hanc distinctionem patet solucio ad primum. *Aliter dicitur, sed redit in idem*, quia potest dici ad mortem scilicet quia *ducit* ad mortem quantum est de se; sic omne peccatum mortale dicitur ad mortem. Aliter dicitur ad mortem quia *impellit* ad mortem quia ibi non est aliquid propter quid dignus sit ut retrahatur a morte; sic est peccatum in spiritum sanctum ad mortem. Tercio modo dicitur quia est cum privatione vite nature sive concomitatur mortem natura, sic non dicitur ad mortem nisi illud quod manet et durat post mortem hominis, scilicet quod non dimittitur in fine... *Ad aliud de Io. dicendum quod* illud « non dico ut oret etc. » exponitur diversimode secundum quod peccatum ad mortem exponitur diversimode, quia secundum primam expositionem prout omne mortale dicitur ad mortem sic exponitur : non dico ut oret quis i. e. *qualiscumque*, sed *iustus*, quia iniustus non posset ei impetrare primam gratiam, quia non est dignus exaudiri, vel sic : quis i. e. *qualitercumque*, scilicet in absolutione generali quia non sufficit illa generalis absolutio, sed exigitur specialis oratio; secundum modum secundum sic exponitur : non pro illo dico ut quis, i. e. *qualiscumque iustus*, sed *perfectus*, vel sic : non dico ut quis roget pro *adeptione venie*, quia ut sic est obstratum (obstructum?) hostium divine misericordie, sed *orandum ut illius mala voluntas* que obstruit hostium ipsi divine misericordie, *tollatur et immutetur*. Quantum ad tertium modum sic exponitur dupliciter : *quia secundum illos qui dicunt quod suffragia prosunt dampnatis*, sic exponitur : non dico i. e. non *precipio*, quia dubium est an valeant; *secundum alios qui dicunt quod non valent*, tunc exponitur : non dico etc. i. e. dico ne quis oret, quia in vanum oraret pro illis ».

Habita eadem omnino explicatione doctrinali horum textuum alter alteri etiam expressione ita consonat, ut vix possis quin dicas, priorem esse extractum ex altero fusiore commentarii qui continetur in cod. Vat. lat.

Textus allati manifestant intimam concordiam inter commentarium illum anonymum ex una parte et varias ex variis bibliothecis quaestiones ex altera quae esprese vel Guerrico attribuuntur vel secundum eum solute referuntur, et quidem quoad doctrinas quasdam characteristicas, terminos, citationes. Accedit illa nota codicis Vat. lat. 4245, qua alluditur sat probabiliter ad commentarium Guerrici et quae verificatur in commentario cod. Vat. lat. 691. Etsi hisce absolute non excluditur illum commentarium esse opus cuiusdam forte sequacis a Guerrico dependentis, probabilitas tamen talis suppositionis valde redigitur eo quod, quantum scimus, commentarius Guerrici, si quem composuerit, non habuit magnum influxum, et eo quod tempus compositionis, quod supra statuere conati sumus, magis indiget ipsum Guerricum. Textus allati insuper manifestant iam aliquomodo habitum scientificum auctoris commentarii de quo agimus. Imprimis, ut etiam aliunde patet, est versatissimus in Sacra Scriptura, similiter ac Hugo a S. Charo; amicus traditionis Augustinianae, dependens a Guilelmo Altissiodorensi, Hugone a S. Charo, Praepositino Cremonensi, Philippo Cancellario. Formulae eius consuetae sunt: in referendo: « de hoc quere », « quere in summa », « nota casus in summa »; in introduciendo: « solucio. dicendum », « ad illud quod obicitur dicendum. »

MAGISTER PETRUS HISPANUS O. P.

par H.-D. Simonin O. P.

Une revue madrilène « Las Ciencias » a publié l'an dernier sous la signature de M. Joaquín Carreras Artau une brève notice intitulée : Une rectification historique, la nationalité portugaise de Petrus Hispanus ¹. En fait il ne s'agit pas, pour l'auteur, de prouver la nationalité portugaise de Pierre Juliani, personne n'ayant d'ailleurs songé à la nier, il s'oppose seulement, avec une certaine vivacité, à un dédoublement du personnage connu sous le nom de « Petrus Hispanus », tel que je l'avais proposé il y a cinq ans ². J'estimais en effet que le manuel élémentaire de logique,

¹ Joaquín Carreras Artau, « Rectificación Histórica. La nacionalidad portuguesa de Pedro Hispano (Publicado en la Revista Las Ciencias, de Madrid, año I, núm. 2); Madrid, C. Bermejo, 1934, 7 pp.

² H.-D. Simonin, Les « Summulae Logicales » de Petrus Hispanus, dans Archives d'Histoire doctrinale et littéraire du Moyen Age, Vol. V; Paris, Vrin, 1930, pp. 267-278.